



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 6. Politia Scotorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

196 DE REGNO MAIORIS BRITANNIÆ,
bernica planè, eoque creditur à primis Scotis delata, de quâ postea
agemus in Hiberniâ.

§. 5. *Mores Scotorum.*

PAUCA hæc ex Boethij obseruationibus decerpimus.

Victus. Carnes semicoctas comedunt, aiunt enim in iis plus esse
fucci. Massam ex farinâ, butyro, caseo conflatam, duratamque fe-
rebant ad bellum, quam subinde lingeant. Helluones apud eos
aquis submergebantur. Quæ mulier infantem suum alere non
posset adulterij incurrebat notam.

Potus. In castris tantum licebat iis aquam bibere. Domi potionis
genus conficiebant, quod aquam viuam nuncupabant, ex thymo,
mentâ, aniso, herbisque patriis eliquatis.

Vestes. Semper capite nudo incedebant, quare apud eos nemo
caluus: nudis ferè pedibus ambulabant; si calceos induerent, eos
madefaciebant: lectum eis præbebat scamnum, aut pauimen-
tum. Chlamydem tantum hyeme adhibebant, eamque adstrictio-
rem.

Bellum. Omnia suis humeris ad bellum portabant. Arma erant
galea, lorica, clypeus ex ferro, aut corio: postremis temporibus
& sclopus, quo vt & gladio si quis carere deprehendebatur, loris
exdebat. Nobilissimi primi in acie stabant, si quis se subduxisset
è castris à quouis impunè necabatur. Dissipabantur facilè, sicut
& facilè reuocabantur ad signa. Nihil ex insidiis, omnia aperto
marte gerebant. Mulier nisi ferret vterum, maritum ad castra se-
quebatur.

Et hæc quidem de antiquis Scotis; nam ex Gallorum & An-
glorum commercio, iam politiores effecti sunt.

§. 6. *Politia Scotorum.*

IN Scotiam appulere Scythæ, quidquid refragentur Scaliger,
& Buchananus, frustra hunc Senecæ versum distorquentes,

Et carneos Scotobrigantas,
vbi vulgò legitur *Scuta Brigantas*. Sed vnde venerunt illi Scythæ?
Aliqui illos accersunt ex Hispaniâ, vnde expulsos aiunt per Con-
stantinum Magnum, idque ex Alphonfi Chronico conantur crue-

re. Alij ex Gothiâ, quæ tum Scythia dicebatur, vt colligitur ex lib. 2. Procopij, de bello Goth. Quidquid sit Hiberniam primò subierunt: exinde transierunt in partem Septentrionalem Britannia, vbi iuncti Pictis grauiſſima bella geſſere cum Romanis, & Britannis cultioribus. Picti autem videntur indigenæ fuiſſe, & hoc accepſiſſe nomen à corporibus *Pictis Glaſto*, quod eruditè Camdenus probat. Hi autem Picti occupabant partem Meridionalem præſentis Scotia, cum Scoti Borealem incolerent. Sed cum Scotorum copiæ ſubinde nouæ ex Hiberniâ tranſmitterent, tandem exterminati ſunt Picti regnante apud eos Kenneto filio Alpini.

Dicuntur autem Scoti ſemper paruſſe Regibus ſuis, qui à Ferguſio I. ad Iacobum Mariæ Stuartiæ filium c v i i. à Buchanano numerantur. Regnum ad primogenitum Regis demortui deuoluitur, qui dicitur *Rofayæ Dux*. Rex magni aliquid gerere nequit inconfulto *Panſcotio*, ſeu *Parlamento*. Tutelam ipſe gerit Nobilium, filiorum ad annum 21. filiarum ad 14. & tum eorum bona fiſco addicuntur, quod tutelæ genus *Vardam* vocant, nos *la garde noble*. *Panſcotium* autem conſtat ex *Eccleſiaſticis*, hoc eſt Episcopis, Abbatibus, Prioribus; *Dominis temporalibus* ſcilicet, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Vice-Comitibus, & Baronibus; denique ex *delegatis ciuitatum*. Vnicum hîc iuſtitia forum, vulgò *The-ſeſſion*.

CAPVT IV.

Hibernia.

EADEM quoque hîc, quæ in Scotiâ conſideranda ſunt.

§. 1. *Nomen Hiberniæ.*

EAM Britanni *Ynerdon* appellant, Angli *Ireland*, indigenæ *Erin*: Apud Poëtâs Hibernicos & fabuloſos hiftoriarum ſcriptores *Bann* dicitur, vnde facta vox *Allabanny*, altera *Hibernia*, quod nomen conſeſſum eſſe Scotia ſuprà vidimus. Quod autem *Zephyri Regnum* eam Giralduſ dixit, poëticè locutus eſt.